

† **R. P. Franciscus Marcinek (1875-1955)***(Prov. Polon.)*

P. Fr. Marcinek natus est die 30 Septembris a. D. 1875 in pago Stara Wies prope Raciborz in Silesia Superiori, paenultimus inter novem fratres, quibus pii parentes, sat divites agricolae, exemplo vitae devotae lucebant.

Iam a tenera aetate, cum gymnasium in Raciborz frequentabat, magno desiderio sacerdoti incendebatur, ad quod in timido pacisque amante puero mox cogitatio de vita religiosa coniungebatur.

Cum vero a. D. 1896 Patres nostri ex Vindobona spiritualia exercitia in Raciborz praedicarent, Franciscus, officio missionarii allectus, nostram Congregationem amplecti statuit. Precibus eius P. Schwienbacher, Superior Prov. Austriae, benigne annuens, misit eum in Eggenburg Austriae Inferioris, ubi die 8 Septembris 1896 vestem Congregatorum induit. Ibidem, novitiatus cursu maximo cum fructu finito, in manus Magistri sui, Servi Dei P. Janauschek, vota religiosa emisit.

Iuvenis alumnus Congregationis nostrae studia sua primum in Leoben (1897-1899), deinde cursum s. theologiae in Mautern finivit ibique die 2 Augusti 1903 ab episcopo Secoviensi Gulielmo Schuster sacerdotii dignitatem accepit.

Mox nuper ortae Vice-Provinciae Polonicae adscriptus, profectus est in patriam et annis 1904-1911 in Mościska laborabat, primum ut socius Magistri patriam et annis 1904-1911 in Mościska laborabat, primum ut socius Magistri novitiatus, postea autem annis 1907-1911 ipse onus Magistri portans.

Annis sequentibus fere per totam vitam munere Superioris variis in domibus nostris fungebatur, i.e. in Maksymówka (1911-1918); Tuchoviae (1918-1921; 1927-1930); Torunii (1921-1924); denique anno 1933 Superior Provinciae Polonicae nominatus, hoc in officio usque ad annum 1948 bono Provinciae invigilavit.

Provincialatus sui tempore duas novas domus, in Zamość scilicet et Wilno, fundavit et praeterea, quod maius videtur, nonnullos subditos sibi Patres in Argentinam misit et hoc modo Missioni nostrae in Chaco initium dedit, quam etiam anno 1939 visitare non recusavit. Ex variis domibus nostris ibi fundatis anno 1955 — adhuc eo vivente — Vice-Provincia de Resistentia orta est.

Munus Superioris Provinciae nostrae, turbulentis praesertim belli annis, permultis ac magnis laboribus doloribusque eum affecit; praeprimis cum do-

mus nostras in Mościska et Wilno suppressas audivit, duos Patres in Zamość iniuste ab hoste interfectos, aliosque triginta subditos Varsaviae a Germanis militibus crudeliter una die occisos deploravit; denique cum ipse, novitiatus causa, quem contra impia invasoris decreta iuvenibus nostris patere voluit, Cracoviae a. 1942 carceris crucem gustavit.

In missionibus aliisque exercitiis saepe laboravit multosque, non tam concionibus (his enim non excellebat) quam patientia, bonitate, orationis studio ad Deum adduxit.

Ut Superior Provinciae Polonicae duobus Capitulis generalibus, annis scilicet 1936 et 1947, interfuit, et semper vita, res gestae et omnia ad Congregationem pertinentia magnopere eius animum occupabant; propterea semper magno cum gaudio editiones nostras ut *Analecta*, R.I.S. et *Spicilegium* legere solebat; curabat etiam ut historia Provinciae rite conscriberetur.

Quae cum ita sint, memoriae semper tenendum est meritum eius supremum non tam in hisce enumeratis extrinsecis laboribus contineri, quam in interna conservatione spiritus Congregationis in Provincia nostra, cuius custos fidelis, semper vigilans ac numquam fatigatus fuit. In materia observantiae regularis mira cum cordis bonitate fortitudinem voluntatis coniungere solebat, et quod maius est, omnibus sibi subditis bono exemplo suae vitae vere Alfonsianae semper lucebat.

Aetate confectus, anno 1948 onere Superioris Provinciae liberatus, per tres annos sequentes munere Superioris domus necnon parochi in paroecia nostra in Bardo Śląskie (Wartha) in Silesia Inferiore fungebatur, nec labores recusans nec viribus suis parcens, ut iniunctum officium pastorale quam accuratissime impleret.

Per totam vitam valetudine bona gaudebat. Secure itaque potuit magnis laboribus ac fatigationibus sese subicere, praepremis tempore belli, dum multa itinera ad diversas domos nostras peregit, quod illis in conditionibus nec facile nec valetudini proficuum fuit. Nullo graviore morbo laboravit; attamen vincit etiam fortissimos senectus. Annis 1952-1953 viribus destitui coepit, aliquoties apoplexiae malo correptus, it ut saepe longa per spatia temporis nec suo more laborare nec ipsam Missam celebrare posset, immo in lecto manere cogeretur.

Anno 1953 domui nostrae in Wroclaw adscriptus, meliorata aliquantulum per aliquod tempus valetudine, omnia sua officia adimplere potuit, semper ad confessiones audiendas paratus aliosque labores domesticos libentissime acceptans ac semper exemplum humilitatis et oboedientiae omnibus praebens.

Mense Decembri iterum gravius aegrotare coepit: rheumatismo, diabete, arteriosclerosi, quibus hepatis adiuncta est; identidem leviores apoplexiae recurrebant. Die 2 Februarii 1955, occasione gravioris impetus morbi, sacramenta infirmorum accepit et vota sua coram omnibus praesentibus confratribus renovavit.

Ultimam suam Missam, quam die 21 Martii 1955 celebravit, obtulit ex propriis intentionibus pro anima P. Victoris Waroux (1), de cuius morte notitiam nuper acceperat.

Morbo semper ingravescente novis in dies doloribus ac debilitate cruciatur, nec iam lectum deserere nec sueta exercitia peragere potuit, confratres tamen rogavit ut sibi cotidie textum meditationis et actus praeparatorios ad bonam mortem aliasque preces S. P. N. Alfonsi legerent; ipse enim P. Marcinek, dolores suos maxima cum patientia ac pace sustinens, nullam spem longioris vitae habebat.

Mortem appropinquantem sentiens litteras ad P. Provincialem misit in quibus pro omnibus beneficiis a Congregatione acceptis sincerissimas gratias egit rogavitque insuper ut suo nomine Reverendissimo P. Rectori Maiori gratitudinem suam propter adnumerationem ad sanctam Familiam Alfonsianam patefaceret.

Ultima vitae suae hebdomada sensibus identidem destituebatur ac propterea diu noctuque aliquis Pater vel Frater Coadiutor ad eius lectum vigilabat. Deinde die 4 Maii Viaticum accepit, totamque fere noctem sequentem agonizans, die 5.V.1955, speciali benedictione Romani Pontificis ac indulgentia plenaria confortatus, omnes labores vitae suae sancta morte coronavit.

Eius obitu Provincia Polonica unum e maximis et de se optime meritis Sodalibus perdidit. R. I. P.